

Pyrgitis, idem quod Phyllitis apud Dioscoridem lib. tertio, cap. 120. sic dicta, a turribus, quia ab radicibus earum nascitur.

Pyriaterium, quale balneum fuerit, lege in dictione, Laconicum.

Pyrgitæ, passeruli.

πυρίκη. Lege, ὄξυδάκτυλα.

Pyrinon, Pyrethrum, apud Dioscoridem libro tertio, capite .84.

Pyriini, panes triticei, idē & Sicanij ex qua drimestri tritico.

Pyriateria, Vaporaria lenticulata. Utitur hijs in passione uoluuli Aecius li. 9. ca. 28.

Pyritis lapidis sequentia recenset genera Georgius Agricola Medicus. Primum argenteo colore est, ex quo argentum excoquitur. Sed eius neq; Plin. neq; ueterū aliquis meminit: aperto iudicio, multa aut ignorasse ueteres, aut negligētiuscule tradidisse. Alterum genus, quod in argentarijs fodinis nō raro, frequētius uero in erarijs inuenitur, ex quo æs conflare solent, ex quo aurum cōficitur. Specie æri assimilis est, quam Dioscorides præ cæteris in usum medicinæ eligit. Vnde uero Pyrites dictus sit, si Plinio credimus, ideo fortasse: quoniam plurimus ignis illi, si concutitur. Quāuis & inde nomen habere possit, quod igneū persæpe colorem de se præbet. Tertium genus aureo prorsus colore. Quo & quartum nō raro conspersum esse solet. Quintum genus Pyritis, colore cinericio, ex quo & ipse aurum & argentum exagit. Elige eū qui æris speciei est, quiq; percussus, facile ignem reddit.

Pyrites, Kyefz.

Pyrites colore argenteo, Vuasser kyefz, oder Vueilfer kyefz.

Pyrites colore aureo, eyn geel kyefz.

Pyrites prorsus aurei coloris, eyn kyefz der gantz eyn farb hat uwie gold.

Pyrites colore galæræ similis, eyn glantziger kyefz.

Pyrites cinericius, eyn grauer kyefz.

Pyrites, Pyrethrum, apud Dioscoridem libro tertio, capite .84.

πυρία, fofus e posca, uel alia re.

πυρικαυτά, igne ambusta.

πυρικαυτόν, ambustum igne.

πυρίεφθον ή πυρίαθες, lac concretum atq; densatum igne. Athenæus primum lac sic uocari contendit.

Pyrocorax, luteo rostro, auis alpina. Plinius lib. 10. cap. 48. Aelianus.

Pyros, Chamælea apud Dioscoridem lib. quarto, capite. 183.

Pyros achnon. Vide. Granum gnidium.

Pyroton, Pyrethrum, apud Dioscoridem libro. 3. cap. 84.

Pyrothron, Pyrethrum, apud Dioscoridē libro tertio, capite .84.

Pyronem nugatorem aliquem fuisse, et qui multa incerta proposuerit in philosophia & medicinis, Galenus uidetur innuere libro de temperamentis secundo. Et nonne inquit, hæc sunt Pyronis hæsitatio, & nugæ immensæ:

## P Y T

πυτυάνθη. Lege, ὄξυδάκτυλα.

Pythonion, id est, Hyoscyanus apud Dioscoridem libro quarto, capite. 72.

πυθμενόθεν, uel παντελως, id est, omnino, uel ἐξαρχῆς, id est, ab initio, apud Hippocratem libro secundo, de ratione uictus.

Pythonis oculus, id est, Stichas apud Dioscoridem lib. 3. cap. 29.

Pytiliffare, Galenus interpretatur πρὸ τῶν ὑγιεινῶν, summis pedibus ingredi, manibus altera retrorsis, altera prorsus protensis: exercitationis genus.

πυτιοκάμπαι, picearū erucæ, cæteris quidem erucis similes & cōgeneres, discriminē ab arbore in qua nascuntur, nomine ipso ostendunt.

## P Y V

Pyulca, instrumenta puris attractiua, cuius modi utitur Galenus lib. 2. ad Glauconē.

## P Y X

πυξακάνθη, tum spina ipsa, tum succus licij. Pyxionix, Aristolochiæ species tertia, de qua uide Dioscoridem libro. 3. cap. 5.

## Q V A

**Q**Vala, uasa sunt uiminea in supellectile rustica: Quasillum diminutiuo uocabulo appellant uas lanificijs aptum, quod et Calathus dicitur, in quo pēsa mulier: & trama uoluuntur. Horatius. Tibi qualum Cythereæ puer ales. Prisci Thalassionem uocauerunt. Apuleius, Qualum panis rumigabam. Præcipit Cato, ut uillicus habeat in instrumento rustico uiginti quala fatoria, uel alueos quadraginta, quib; frumēta que serimus, cōtinēt fatoes. Col. li. 7. ca. 3.

## Q V

Quadrata corporis statura dicitur eruditis, quæ neq; longa, neq; breuis sit, sed in medietate posita. Vespasianus imperator fuisse fertur statura quadrata. Quadratum Canem probat Columella, meliorēq; ait esse quam longum, aut breuem. Columella libro septimo, capite secundo.

Quadrantal forma, id est, quadrangularis, tetragona.

Quadrifidas ridicas. Tanta est crassitudo et robur taleæ, ut scindi possit in quatuor partes, & quaterna pedamenta, siue statumina, siue adminicula: quæ & Ridicę uocantur. Cōsimiliter inquit poeta. Quadrifidasq; fides. Columella libro. 4. cap. 33.

Qualitates humorū sunt, austeritas, amaritudo, acerbitas, graueolētia, falsedo, glaucedo, sic enim uult Mnesitheus in lib. qui *παραλογισμὸν* medicinæ dicitur. Cōprehēdit autē & qualis est: & in uniuersum affectus, ægrotationes, siue morbos uniuscuiusq; partis, aut membri.

## Q V E

Quercus. De Querci generib. scilicet Platiphyllo, Haliphloco, Hemeride, Aesculo, Cerro, Fago, lege Barbari Corollaria in Quercum, Glandem, & Fagum apud Dioscoridem lib. 1. Item Plinium libro. 15. 23. 4. 5. 6. 7. & rursus capite. 6. 7. & Theophrastum libro. 3. capite. 9.

Quercus ex quibus principijs consistat, require ex Vitruuij lib. 2. cap. 11.

Querquedula, et phalerides, aquaticę aues.

## Q V I

Quincuncialis herba dicitur, aut triēnalis, a mensura, id est, quæ folio quincuncem, aut trientem æquet amplitudine. Item, Quincuncialis ordinum ratio in disponendis arboribus & uineis, maxime laudata est: utpote quæ non solū per statum utilis sit, uerum et aspectu grata quocunq; intueare, in ordinē se porrigēte uersu. M. Tullius. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborū, et directos in quincuncem ordines. Quintilianus. Quid illo quicunq; speciosius, qui in quācumq; partem spectaueris, rectus est: sed protinus id quoq; prodest, ut terræ succum æqualiter trahat. Columella lib. 3. cap. 13.

Quinquatria, sunt ferię quinq; dierum, dicatæ Mineruę: quę mense martio celebrantur. Quidam autumāt Quinquatrum unū

## R A

tantum diem festum esse: ex eoq; dictum, quod post diem quintum Iduum celebraretur: sicut sexatrus dictus, quod post diem sextum idus celebratur: & septimatrus, post diem septimum. De Quinquatribus Ouidius in Fastis copiose perscribit. Meminit & Horatius illo uersu. Ac putas puer ut festis quinquatribus olim. Columella libro. 11. cap. 2.

Quinq;folium, Pentaphyllon a quod Dioscoridem libro. 4. cap. 45.

Quinta essentia, est corpus tenuissimū, quasi non corpus, & quasi iam anima: itē quasi non anima, & quasi iam corpus. In eius uirtute minimum est nature terreneę, plus autem aqueę: plus item aereę, rursus igneę, stellarisq; quā plurimū. Vide Marfilium Ficinum libro de uita celitus comparanda libro. 3. cap. 3.

Quisquiliū Plinio uermiculus, id est, ipsum cocci granum dicitur.

Quisquilię, ut ait Festus, quicquid ex arboribus minutis surculorū, foliorūq; decidit.

## R A C

**R**Acemus, ein uueindraub, oder kamp des uueindraubens.

Racosis, multa scroti extensio.

Racemaria, Cadmię species apud Dioscoridem libro. 5. cap. 75.

## R A D

Radula, Instrumētum est a radendo dictū, quo utebantur in radēda, ducendaq; pice doliorū: unde & nomen. Hinc docuimus apud Plinium, Radulanam appellari pice, propterea, quod radula raderetur ex dolio, ducereturq;. Quamuis uiri alioquin eruditi radulanam legēdum esse contendant. Verba Plinij ex lib. quartodecimo hæc sunt. Italię in parte aliqua radulana pice ac resina condire musta uulgare est, prouincijsq; finitimis. Col. lib. 12. cap. 18.

Radix est id, quo alimentum plantæ, uel arbori attrahitur. Theophr. libro. 1. capite. 2.

Radix iunci, id est, Cipros. Vide Dioscoridem libro primo.

Radix Pontica, Glycyrrhiza, Liquiricia. Dioscorides libro. 3. capite. 6.

Radix pontica, Rhaponticum apud Cornelium Celsum.

Radix syluestris, apud Dioscoridem libro quarto, capite. 187.

Radix, os minus brachij.